



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom XXV. post pent. Eua[n]. Loque[n]te Iesu ad turbas. Mat. 9 Homiliæ
duæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

ma urbs Ierusalem deuastaretur, ipsiq; Iudæi diuenditi in uniuersum spargerentur orbem terrarum? Nunquam cuiquam feliciter successerunt seditiones, etiam inter eth- **Salust.**
nicos. Ecce enim Carilina homo perditus, adiunxit sibi aliquot sui similes adolescentes, coniurârunt simul aduer-
sus senatum. ipse uero fractis conatibus suis; deperijt, ut **Nume. 16**
merebatur. Chore, Dathan & Abiron seditionem molie-
bantur, conantes sibi attrahere plebem, sed absorpti sunt a terra. Nemo igitur eò stultitiæ adduci se sinat, ut quic-
quam tentet factiosum aduersus magistratus, nemo malū **Roma. 12**
pro malo reddat, non tantum coram deo, sed & coram o-
mnibus hominibus, pacem habendo cum omnibus, maxi-
me uero magistratibus, quos deus nobis dedit, quibus qf-
quis resistit, diuinæ resistit ordinationi. **Roma. 13**
Quilibet autem pro magistratibus suis diligenter deprecetur dominum,
iuxta doctrinā Pauli, ut illis dñs gratiā donet feliciter ad-
ministrandi omnia, pacē & iustitiā tutandi, malumq; pro-
merito puniēdi, q̄tenus sic nos oēs, magistrat⁹ & subditi a
dño deo gaudia suscipere mereamur æterna. Amen.

DOMINICA XXV.

A FESTO PENTECOSTES,

euangelium **Matth. IX.**



In illo tēpore loquen-
te Iesu ad populum,
ecce princeps unus ac-
cessit, & adorabat eum, **Marci. 5**
dicēs: Domine, filia mea **Luce. 8**
defuncta est, sed ueni, im-
pone manum tuam su-
per eam, & uiuet. **Johā. 4.**
Et sur-
gēs Iesus, seq̄batur eū &
discipuli ei⁹. Et ecce mu-
lier quæ sanguinis fluxū **Marci 5**
habet, **Luce. 8**

ZZ iij

patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius. dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. **A**t Iesus conuersus & uidens eam, dixit: **C**onfide filia, fides tua te saluam fecit. **E**t salua facta est mulier ex illa hora. **E**t cum uenisset Iesus in domum principis, & uidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: **R**ecedite, non est enim mortua puella, sed dormit. & deridebant eum.

Marci 5
Luce. 7. 18

Marci 5

Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit: **P**uella, surge. & surrexit puella. & exiit fama hæc in uniuersam terram illam.

Marci 5
Actuum. 9

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicentes: **M**iserere nostri fili Dauid. **C**um autem uenisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Iesus: **C**redits quia hoc possum facere? **D**icunt ei: **V**tique domine. **T**unc tetigit oculos eorum, dicens: **S**ecundum fidem uestram fiat uobis. **E**t aperti sunt oculi eorum. **E**t comminatus est illis Iesus, dicens: **V**idete ne quis sciat.

Infra. 22

Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.

Supra. 3

Marci. 7. 9

Infra. 12

2. 27

Luce. 11

HOMILIA PRIOR.

EXundecim quæ **M**athæus commemorat miraculis, tria nobis hoc euangelio recensentur, de muliere hemorroissa, de filia Iairi, & cæco illo. **S**emper autem conabantur pharisæi miracula Christi uilipendere. ut autem confunderent ipsi, uenit Iairus, nomine quodam satis clarus, quasi illuminantem dicas uel illuminatum, idemque princeps erat synagogæ: & fidem uidebat habere, quæ-

Hieronym.

Luce. 8

Bedæ.

T. coph.

uis non magnam. obsecrabat. n. Iesum non ut solum uerbum dicat, sed & ut ueniat & manum imponat, quod eui
 dens erat modicæ fidei argumentum, sicut & Naaman Syrus petiit prophetâ ad se egredi, & imponere sibi manû.
 Qm̄ qui rudi sunt intellectu, ita erudiri debent, ut & uide
 re possint & palpare. Ita ergo Jairus ille uenit ad dominû
 & rogauit eum, id utrumq; non facturum, nisi credidisset.
 procidit, n. ad pedes Iesu, & ualde rogauit eum, unde ar
 gumētum humilitatis eius petitur, q̄ ipse synagoga prin
 cept coram dño tantum se humiliavit, ut etiam ad pedes
 ipsius caderet pronus in terrâ, siquidem multi gratiâ in
 uenerunt ad pedes domini, quamobrem & Paulus exhor
 tatur Hebræos suos, inquit: Ad eam cū fiducia ad thro
 num gratiæ eius, ut misericordiâ cōsequamur, & gratiam
 inueniamus in auxilio opportuno. Filia, inquit ille, mea
 modo defuncta est, sed ueni, impone manum tuam super
 eam, & uiuet. Atq; hic quidem occurrit quæstio, quô filiâ
 quam Lucas iam iam morietem, Marcus in extremis fu
 isse perhibet, Jairus apud Matthæum mortuâ dixerit, ad
 hoc respondet Aug. & ait: Duo posuerunt quid dixerit la
 irus, Matthæus uero quid cogitârit atq; uoluerit, utrûq;
 .n. petrum est à dño, ut uel morientē saluam faceret, uel
 mortuam suscitaret. Chryl. paulo diuersæ sententiæ
 est, aitq; filiam non quidem adhuc fuisse mortuâ, sed ta
 men in extremis iacuisse, ut sic sermo ille ad calamitatem
 pertineat amplificantis. nam qui re aliqua indigent, solēt
 ærumnas suas augere, & maiores facere ut exorent. Estq;
 hæc regula cōmunis, qua sæpe utitur Aug. qui & hic cap.
 27. sic inquit: Satis in promptu est, nihil esse contrariû, si
 qd̄ aliud dicit qd̄ aliud præmittit, seu uerbi seu rei, dū uel ab
 eadem sententiâ non recedatur, uel quæ forte ab alio po
 nitur, alij nō aduerset. uide eūdē lib. 3. c. 8. & pulchri^o c. 13.
 2. ¶ Quæri solet hoc loco, quando ad unū uerbum pe
 titiois suæ duriter admodum adorsus est dominus regu
 lū oratē, ut ueniret ille ad filium suū, cur nō idem huc
 lairo exprobrauit. Respondetur, quod quamuis ambo il
 li æquales fuerint imperfectione fidei, dū uterq; corpora
 lem Christi præsentia petiit, quasi non illius omnipoten
 tia ubiq; posset operari, absente etiâ corpore: in hoc ta

4. Reg. 5

Luc. 8
Marci. 5

Hebr. 4

Filia Jai-
ri.

Augustin.

Cyrillus.

Augustin.

De doct.
Christ.

Johan. 4.

men fuerunt isti diuersi, q̄ Iairus hic plus tum humilitatis tum reuerentiæ exhibuit Christo, quàm ille. unde & fidem colligis habuisse maiore, prouoluit enim in terrâ ad pedes Iesu ex fide, utiq; adorauit eum, qua deuotione & pietate fidei suæ meruit augmentum, sicut alius apud

Marci. 9

¶ Altera porro causa dari potest talis, qm̄ et si interdum dominus diuinitatis suæ præbens argumenta, absens etiam potentiam suâ declarauit, ut in filio reguli, tamen aliquid quando humanitatis q̄q; suæ dignitatē uoluit aperire, ut & incarnati filij dei fides confirmaret: sicut opera quæ in nomine patris sui faciat, ipse testimonium de se perhibere dixit. Pater etiam ex sacris literis diuinitatē non nihil operatam esse per humanitatem. qd̄ sine ea noluerit facere. Sic diuinæ uisum est maiestati, sic ractu suæ mundissimæ carnis dedit ille uim regeneratiuâ aquis, sic multos in firmos cōactu sanauit, ut cæcum luto ex spūto factō, &

Johan. 4.

Johan. 5

Beda.

Matth. 3

Johan. 9

Marci. 7.

Isaie. 60

Lucę. 8

2. Reg. 1

Jeremi. 6

Eccle. 36

iterum mutum istū. Multa igitur fecit dominus miracula in sua sanctissima carne, ad sanctificandam illam, simul que declarandum, q̄ sancta esset: & hoc est quod per Isaiā dicit, locum pedum meorū glorificabo, pedes autē Christi, exponūt doctores ipsam eius esse humanitatē, locum illum honorificauit, & decorauit gloria, quando miracula fecit in ea. Lucas porro ait filiā hanc & unicam fuisse et duodēnem, quod eo facit, ut cōstet multum ardēter orasse se Iairum pro uita filię quam habebat unicam. quoniam naturaliter ita fit, ut plus diligant parentes filiū unū aut filiā, quàm liberos multos, sicut Dauid dixit ad Ionathā: Sicut mater diligit unigenitū, ita ego te amabā. & Jeremias ait, fac tibi planctū amari, luctū sup unigenitū. filiā q̄q; delicatius amant parentes quā filium, iuxta illud Sapientis: Filia melior est filio. His accedit q̄ flos ipse erat iuuentutis, siquidem duodecim iam erat annos nata, quod etiā fidem parentum augebat magis.

3. ¶ Sequitur, Et surgens Iesus, sequebatur eum & discipuli eius. unde Christi quoq; apparet humilitas & benignitas magna, qui ad unicam Iairi petitionē secutus est eum cum discipulis suis, ut illos quoq; solidi⁹ firmaret in fide, istamq; sequelā meruit Iairus hic oratione sua pioq;

adfectu. Sequitur rursus, Ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebat duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius. Mulier ista quænam fuerit, non satis constat ex sacris literis. Ambrosi⁹ Marthã esse arbitrat. ait .n. Dum largum in sanguine fluxum siccata in Martha, dũ daemones pellit ex Maria, dum corpus rediuiui spũs calore constringitur; & qd mors sibi uendicauerat ad poenã, lux denuo recipit ad gratiã. Quod si ita esset, tria maxima miracula fecisset in fratre & sororibus duabus. sunt autem qui diuersum eo opinant, qd Marcus & Lucas dicunt eam omnem suã substantiam expendisse in medicos, a quibus tamen nihil sit adiuta, cum tamen constet Martham diuitem fuisse, sicut doctores super Iohannẽ asserunt, quoniam deinceps & dñm hospitio excepit, & illi inseruiuit. Vnde Eusebius refert aliã fuisse hanc mulierẽ, & ciuem quidem in Cafarea, cuius domus suo etiã tum tempore sit cõmonstrata. Qua de re deinceps plura. Graui morbo mulier hæc laborauit totos annos 12. (hemorrhoißa dicitur a fluxu sanguinis aut a ruptis uenis hemorrhoidibus) laudat autẽ hic mulier ista propter fidem suã & humilitatẽ. Humilis erat, quoniam seipsam indignã reputabat, quæ in conspectũ domini ueniret; ideoq; a tergo accedebat, siquidẽ & iuxta legem urbibus excludebatur, sicut mulierẽ menstrua partem lex uerat tangi, quod quisquis fecerat, pro immundo habebatur. Adeo tamen audax illa fuit, ut etiã contra legem tangeret dñm; unde & Chryso st. dicit, libere atq; aperte ad Iesum accessit, quia propter ægrotationis generis immundã se putabat, quando & ægritudo hæc immundities secundum legẽ iudicabatur. at qui audierat dñm etiã leprosos tangere, quod ipsum quoq; fuit in lege prohibitum. Poterat ipsam & hoc mouere, qd acceperat Christum ægrotantibus quoq; mederi mulieribus, iamq; esse in uia & siltam lairi curaturum: quo confidentius liberiusq; accessit, quis adhuc clã & a tergo, ut supra cõmemorauim⁹.

4. ¶ Fidem porro mulieris magnã & deuotionẽ euangelista innuit, quũ refert eam dixisse intra se: Si tetigero tantũ uestimentum eius, salua ero. ipso autem opere fidẽ adhuc exhibuit maiorẽ, dũ credidit se ex solo simbriæ cõtractu saluari posse. neq; n. solũ credidit Chẽ in uirtutẽ ha

Li. de Sa
lomone.
cap. 5
Johan. 11.
Luce. 8

Marci. 5
Johan. 5
Luce. 16.
Li. 7. c. 14

Hierony⁹

Leuit. 12

Chryso st.

Matth. 8.

Leuit. 13

Num. 5.

here sanitatis. sed & omne quod tangeret. quoniam sic il-
 le tetigit leprosum. & sanatus est. tetigit & pheretrum
 in quo ferebatur cadaver adolescentis. atq; reledit qui fue-
 rat mortuus. Poterat illa forte meminisse uerborum Da-
 uidis. Sicut unguentum in capite quod descendit in barbā
 barbam Aaron. quod descendit in oram uestimenti eius.
 credebat ergo gratiā & uirtutem omnem Christi emanaf-
 se etiam in fimbriam uestimenti. sicq; contenta erat solo
 fimbriæ contactu. Hac ipsa mulieris huius fide. totaq;ue
 illa historia rerunduntur & nouæ & ueteres hæreses. q̄
 contemnunt reliquias Christi & sanctorum. clamant. n.
 Quorsum ista mortuorum ossa? quid faciat lignū crucis?
 quidue profint uestimenta mortuorum? Sunt quidā qui nō
 paulo impudentius obganniant. quæ me dicere pudet ac-
 piger. Confunduntur autē hic. quādo etiā tactu fimbriæ
 suæ mulierē hāc curauit dominus. Quod si ergo fimbriæ
 suæ uirtutem tantam dedit Christus. quanto magis san-
 ctissimæ cruci. in qua operatus est salutem mundi. quāq;
 precioso suo sanguine consperfit. Ad hæc. reliquias san-
 ctorum suorum iam olim in ueteri quoq; testamento co-
 honestauit deus. ut exemplo Elisei constat. ad cuius corpo-
 ris contactum cadaver mortuū reuixit. Quod si igit uir-
 tutem suam diuinā dñs ossibus cōmunicauit Elisei. iam o-
 lim in ueteri testamento. quando adhuc animæ iustorū
 beate non erāt. quanto magis id ipsum faciet sanctis noui
 testamenti. amicis suis charissimis. qui secum regnant in
 celo. Pura super hac re uide in homilīs de sanctis. Tantū
 hic recensere liber historiam. quā Eusebius refert de hac
 muliere. quam ciuem fuisse Cæsariensem tradit: pro cuius
 domus foribus basis. inquit ille. quædam in loco editiore
 collocata monstratur. in qua mulieris ipsius basis uelut
 genibus pronoluta. palmasq; sup pliciter tendentis ima-
 go ære uidetur expressa. Adstat uero alia ære nihilo mi-
 nus suta statua. habitu uiri. stola compe circumdari. & de-
 xteram mulieri porrigentis. Huius ad pedē statuæ. ē basi
 herba quædam noua specie nascitur. Quæ cum exorta fu-
 erit. excrescere usque ad stolæ illius ærei indumenti fim-
 briam solet. Quam cum summo uertice crescens herba
 contrigerit. uires inde ad depellendos omnes morbos

Matth. 8.
Luce. 7

Psalm. 132

Matth. 9.

4. RES. 13

Li. 7. c. 14

Li. 7. c. 14

languoresq; cōquirat, ita ut quæcunq; illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellat, nihil omnino uiriū gerens, si ante q̄ arce fimbriæ summam crescendo cōrigerit, decerpas. Hanc statuā ad similitudinē uult Iesu formatā tradebāt, q̄ p̄manit ad nostra usq; tēpora, sicut ipsi oculis nostris inspexim⁹.

Meminit ille ibidē imaginum q̄q; Christi, Petri & Pauli.

¶ Quod autē Eusebius ueritatem scripserit, satis magnū & locupletē historiæ suæ testem habet Sosimenū, in hæc uerba scribentem: Cum cognouisset Iulianus imperator in Cæsarea Philippi, ciuitate Phœnicia, quam Paneada uocabant, in signe Christi esse simulacrū, q̄d mulier illa, sanguinis liberata profluuio, cōstituerat, eo deposito, suā ibi statuam collocauit. Quæ uiolento igne de cælo cadente, circa eius pectus diuisa est, & caput cū uertice una parte deiectum, atq; in terra fixū, reliqua uero pars hæten⁹ superfuit & fulminis indicium reseruauit. Statua uero Christi tunc quidā Pagani trahentes cōfregērunt. Postea uero Christiani colligentes, in ecclesiā recondiderunt, ubi hæten⁹ reseruatur. Cōmemorat ille q̄q; deinceps eadē quæ habet Eusebius. Mihi autē libuit hæc eo prolixius recensere uobis, quo magis moueamini cū omni pietate ad uenerationē reliquiarū, maxime uero Christi, ut sunt, crux gloriosa, clauis, lancea, tunica &c. In hoc itaq; euangelio magnam agnoscimus mulieris huius fidem, quæ credidit omnipotentiam Christi, adeo ut etiam uestimentū, quo sanctissimum eius corpus operitur, in uitam aliquā sanitatis haberet, arctamen magnū est quod percauit clam se aditurā illum ne perentisceret. siquidē quæ omnipotentē agnouit, omnisciam quoq; credere debebat, & ita, ut nihil eū latere posset. At ego hic uos admonitos omnes uolo, ut uera fiducia, sancta pietate, sinceraq; fide tangatis, sed non dico fimbriā uestimenti Christi, sed ipsum sanctissimum Christi corpus, unde acquiratis sanitatem & medelā uulnerum animæ uestræ. Nam si quis uerū Christi corpus atigerit cū infidelitate uel in peccatis, is nō pōt non uulnerari ad æternā damnationem, teste Paulo: quia qui māducat & bibit indigne, iudiciū sibi māducat & bibit. Gratiā igitur nobis tuam dñe benign⁹ impēde, qua freti uitam consequamur æternam, Amen.

Cripar. hē
no h. 6.
cap. 4. r

t. Col. h. 11

HOMILIA II.

A Beunte dño unā cum lairo ad resuscitandam filiā eius, recordata est mulier hemorrhoissa sanita-
tis suæ recuperandæ: & tamen pudore deterrita,
quo minus uel palam adiret uel rangeret dñm, cogitauit
de attingenda fimbria Christi. & sequit, Iesus conuersus
& uidens eā, dixit, Confide. Lucas refert interrogasse do-
minum, quisnā ipsum tetigisset, negātibusq; omnibus, re-
spondisse Petrū, eū sic à turba opprimi, eo q̄ sensisset uir-
tutem à se exiuisse. & tunc prouoluta in terrā mulier, nar-
rauit ut acta essent omnia, cōuersusq; dñs, dixit: Confide
filiā. Et bene quidem conuersus ad eam est. idipsum. n.
facit erga oēs, qui per pœnitentiā cōuertuntur ad ipsum
teste Zacharia, Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad
uos. Cum igitur mulier hæc per fidem se conuertisset ad
dominū, per deuotionē q̄q; suam & confidentiā magnā
uicissim cōuersus ad illam dominus est cū gratia sua & mi-
sericordia. Sic ille conuersus est & ad Petrum, respexitq;
eum oculis misericordiæ suæ. Filia, inquit, cōfide. Cur aut
unde iam filia domini erat: ideo, q̄a credidit. hinc factum
est, ut fides ipsam sua saluārit, neq; .n. ait dominus, fides
tua te saluā faciet, sed iam iam fecit. Quæris, cur dominus
uerecundiam hanc mouerit mulieri dum quæsiuit, quis
tetigerit se, cum tamen illa timore & pudore percussa, uix
à tergo trepidula, adhuc ausa sit accedere. Respondet ad
hoc Theophylactus & ait: Saluator prodit eam, non ut a-
mans gloriæ, sed ut fidem illius ad nostram utilitatē de-
clararet, utq; simul in fide roboraretur etiam archisyna-
gogus. Chrystom⁹ quoq; idipsum quærens, Cur, inq̄,
eam in medium produxit? Primum ut ab omni formidi-
ne scēminam liberaret, ne conscientiaē stimulis quasi fu-
rata sanitatem agitaretur. Deinde ut ipsi⁹ quoq; curaree
animum, quem putauit latere potuisse. adhuc, ut fidē eius
manifestam faceret, ut alij possent eam imitari. præterea
non est minus signum secreta cordiū scire, q̄ flumina san-
guinis coercere. data quoq; opera commorabatur, ut post
mortem puellæ ueniret, & ministerium resurrectionis pa-
tesciferet: & ne resuscitatio filiæ suspecta fieret, sed nota

Luc. 8.

Zacha. 1

Luc. 22

Hierony.

Theoph.

Chrystom.

populo. quoniam sic & ad Lazarum uocatus aliquot dies uenire distulit, ut eius mors pluribus innotesceret. Idipsum hic quoque fecit, quamuis non ad ignominiam, sed pacem & laudem pertingat, siquidem illi meritorum adhuc existenti animum addidit, fecitque robustiorem. Primum enim ait, Confide filia, deinde causam contracti mali ostendit, mox restante Luca ablegat eam, iubens abire in pace. Ma-
Johan. 11.
Luce. 8.

nebit igitur mulierculæ integra suæ tum pietatis tum fidei & confidentiæ laus in omni ecclesia.
 2. ¶ Simul atque iam hemorrhoidam in uia curauit dominus, uenit in ædes laici: cumque uidisset tibicines, turbam irrequietam, More namque ueteri tibicines ad incendendos excitandosque luctus ferebantur adhiberi. Atqui resuscitata turo hic domino ex morte filiam opus ipsi non erat lamētis, unde & ablegat eas, Recedite, inquit, non est mortua puella, sed dormit. Lucas ait neminem intromisisse eum secum, nisi Petrum, Iacobum & Iohannem, atque utrumque parentem. Quid quis grandi non caret mysterio, nunc tamen missum facio. Quo ad literam autem, discipulos hos tres ad sublimiora semper mysteria aduersit, puta ad transfigurationem suam in monte Thabor, & ad orationem in monte oliueti &c.
Ambrosi.º
Matth. 17
Matth. 26

¶ Respexit itaque dominus tibicines, qui cum planctu filiam deducerent ad sepulchrum, iuxta illud Ieremiæ: Vocate lamentatrices, ut ueniant, & ad eas quæ sapientes sunt mittite, properent & festinent, ut adsument super uos lamentum. Quæris, cur eiecit hic turbas dominus, facturus hoc miraculum, qui tamen multa & magna sæpe miracula fecit coram hominibus? Respondeo, turba hæc indigna fuit quæ tantum uideret miraculum. siquidem plane non credebant dominum posse resuscitare filiam. In figura tamen turba hæc populum significat infidelium Iudæorum, non credentium etiam, sed magis tumultuantium. Tibicines autem falsi sunt eorum doctores & Rhabini, quos oportet eiecere, si quando Christus filiam, hoc est, animam hominis uelit à peccatis resuscitare.
Jeremi. 9.
Hieron.º

¶ Quid multa? repulsæ huius causam textus habet, quoniam non est mortua filia, sed dormit: Verba hæc multum expendant hinc inde doctores sancti, quod ipse sibi uoluerit Christus, quoniam uere defuncta erat filia, possunt igitur intelligi primò in hunc sensum, quod quis de mortua iam erat filia mudo

- & hominibus, deo tamen cui uiuunt omnia, mortua nō fu-
 ir. quicquid enim factū est in uerbo dei, uiuit. Et nos igit
 si inspicimus potestātē Christi, mortua illa nō erat, quā
 ipse iam iam a morte resuscitare uolebat, & poterat, si uo-
 luisset uerbo unico. potestātē. n. ille uitā & mortis habet,
 iuxta istud Annæ; Dominus mortificat & uiuificat. & hoc
 ipsum Moysis, Occidā, & ego uiuificabo. Posset & eō addu-
 ci, q̄ mortui si nō in peccatis sint, proprie mortui nō di-
 cuntur, sed transire a morte in uitā. Sic Paulus, scire inq̄r,
 uos uolumus de dormiētibus, ut nō contristemini, sicut &
 ceteri qui spem nō habent. Ecce & Paulus cōmuni sacra-
 scripturæ cōsuetudine dormire dicit q̄ uere mortui erāt.
 Et quia filia hæc admodū iuencula adhuc exiit, est hic
 Glossa quæ ait innocentē eā fuisse, ideoq̄ dixisse dominū
 dormire illā, non esse demortuā. Breuiter, quia tam fac-
 ile Christo hic fuit istam suscitare mortuā, q̄ nobis excita-
 re dormiētē, cur nō recte dormire diceret, quā facile ad-
 eo erat Ch̄o suscitare: qm̄ sic & de Lazaro ait ille, Lazarus
 amicus noster dormit. eamus, & a somno suscitemus eū. Sci-
 entes aut̄ tibi cines & turbæ uere mortuā esse, quā dormi-
 re Christus dicebat, irriserunt eū. Atq̄ hoc proprium ha-
 bet malitia, ut derideat bonos, sed interim tamen parum
 nocet iste risus. qui hic etiam eo ipso profuit, qm̄ illo testi-
 monium amplius dant miraculo, qui sic ridēt, q̄ uere mor-
 tuam suscitārit, nā in confesso erat apud omnes mors ei⁹.
 Cumq̄ isti nollēt credere domino, præuenit ecce eos suo
 proprio risu, ut exhibito deinceps miraculo, magis se cul-
 pabiles agnoscerent, eo q̄ nō antea potentiā credidissent
 resuscitantis. Ita irridentur nonnunq̄ prædicatores, qui
 non ideo statim a suo bono proposito debent auerti, sic-
 ut hic nihilo deterritus est Christus risu istorum, quo mi-
 nus cōceptum iam prosequeretur miraculum.
 ¶ Eiectis turbis, ingressus dominus, tenuit manū
 puellæ. Expulsi sunt isti, quoniam nō erant digni qui ui-
 derent mysterium resurgentis, qui resuscitantē indignis
 contumelijs irridebant. Sic Elias & Eliseus in priuatis lo-
 cis segregati ab alijs mortuos suscitauerūt, quamuis hoc sua
 quocq̄ mystica non caret expositione, sicut paulo post di-
 cemus. Intrauit Iesus. iam antea erat ille quidem in ædi-

bus istius **Sairi**, sed non in eo triclinio, ubi recumbebat **Chryso.**
 filia, quod nunc demum ingressus, manum ipsius apprehē-
 dit. **Ecce** ut uerum faceret, quod ad suam potentiam filia
 dormiret, manum eius tenet, quasi de somno ipsam exci-
 taturus. **Et** considera hic diligēter, quoniam **Sairus** pater
 rogauit dominum, ut ueniens imponeret manum super
 filiam, sed non fecit hoc ille. non enim imposuit ei ma-
 num, non suspexit in cælum, non orauit, sed ut omnia
 suo subdita esse doceret imperio, tantum tetigit eam & di-
 xit: **Puella, surge.** **Tactu** autem suæ sanctissimæ manus, a-
 nimam puellæ ex sinu **Abraæ** in ipsum corpus usq; reuo-
 cavit, quod argumentum euidentis erat inhabitantis in eo
 diuinitatis, quæ corporali cōtactui aderat, iuxta illud **Da-**
uidis: **Dextera domini fecit uirtutem.** **Puella,** inquit domi **Psalm. 117**
surge. **Apud Marcū** uero dicit: **Tabita Kumi.** **Vox** hæc
Christi dirupit & penetrauit terrā, ipsamq; uiuificauit
 filiam, uere enim uox **Christi** & potens & multum effi-
 cax est, dicte **Dauid:** **Dabit uoci suæ uocem uirtutis.** **Sic**
clamauit ille resuscitaturus **Lazarum.** **Sic** etiā fiet in die
 nouissimo, quando tam facile mortui omnes audient uo-
 cem filij dei & resurgent, quā puella hæc resurrexit, ita **Johan. 5**
 enim dominus ait, **Mortui** audient uocem filij dei, & qui
 audierint, uiuent. **Ne** autem phantasma hoc haberetur,
 iussit dominus dare ei quod manducaret, cum iam refe- **Ambrosi.**
 disse idq; sane est testimonium uitæ, unde ueritas illa cre-
 deretur, quoniam qui insiar phantasmaris uideretur resusci-
 tari, figuram quidem uiuētis habet, sed non operationē.
Atq; ideo dominus etiam postquam resurrexisset, uoluit
 manducare cum discipulis suis. **Lucas** hic testatur prohi- **Luce. 24**
 buisse dominum parentibus illius, ne cuiquam dicerent, id **Johan. 28**
 autem fecit ille propter humilitatē, quoniam aliās uult
 dominus miracula sua in admirationem rapi & uehemē-
 ter celebrari. uide supra parte prima. **Exiit** fama hæc, in-
 quit euangelista, in uniuersam terrā illam. quod non me-
 diocriter etiam fecit ad reuerentiam & gloriam domini,
 & confusionem istorum qui irriserant ipsum.

4. **Audita** hæcenus euangelicæ huius historiae ex-
 positione iuxta literam, porro mysticū quoq; sensum in-
 uestigemus, idq; q̄ fieri potuerit breuissime. **Archisyna-**

AAA

gogus iste Iairus, synagogam ipsam repræsentat, quam sane deseruit dominus, libiq; ecclesiam sociavit gentium, sicut à prophetis prædictum erat. Infirmata igitur illa est & demortua. Attamen non adeo dereliquit eam dominus, ut non adhuc per gratiam suam uiuificet eam, dummodo ipsa quærat & inuocet illum. Proferanti autem domino ad filiam synagogæ, occurrit in uia mulier, ecclesia scilicet ex gentibus collecta, & sanitatem Iudæis præparatam præripit, sicut & Paulus id factum esse testatur. Mulier autem iam antea omnem substantiam suam impenderat in medicos, hoc est, quod gentiles antea omnis naturæ donis & beneficijs abusi fuerant ad idololatriam, quod & numerus ipse satis indicat. duodecim enim annos habebat filia, & toridem infirmabatur muliercula. Sic quoadiu in flore & uigore fuit synagoga, infirmabatur gentilitas: peritura autem & iam iam ruinam minitante synagoga, erecta demum & extructa est ecclesia gentium. qd

Actu. 13.

Roma. 11

1. Cor. in. 13

& Paulus agnouit, dicens: Cæcitas ex parte cõtingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Audientes itaq; gentiles aduentum Christi, adcurserunt ad eum. Obruit quidem & compressit dominum turba, sed sanata nõ est. Verum quisquis uera fide tangit illum, is est qui sanitate meretur. Imbriam autem tantum tetigit mulier, eo qd omnis illa cognitio nostra in hoc seculo per fidem imperfecta est, tantumq; in ænigmate & uelut per speculum cernimus omnes: at illic in æterna patria altius multo & tangemus & cognoscemus dominum, quando illum uidebimus facie ad faciem sicuti est. Multi Iudæorum non crediderunt domino, qd illos qui extra synagogam erant, saluare posset, deriserunt insuper illum, & id quoq; in hodiernum diem faciunt. O felicem autem & ter quaterq; beatum hominem, cui manum porrigit dominus, & tenet manum eius. cui iubet dare quod manducet, panem scilicet cælestem, uerbum dei, uel etiam uiuificum illud & uenerabile corpus & sanguinis Christi sacramentum. Sed quod paucos adeo secum intromisit dominus ad exhibitionem miraculi, argumento est, paucos etiam ex Iudæis credituros in Christum. Atq; hæc serè sententia & expositio est iuxta mentem Ambrosij.

¶ Nec multum discordat interpretatio Bedæ ab illa Ambrosiana, estq; huiusmodi: Iairus synagogæ princeps, No

ysen significat. Is procidit ad pedes dñi. sicut autē caput Christi diuinitatem, ita pedes humanitatem designant, qua terram hanc tetigit. Tum autem prostravit se ad pedes domini Moyses, quando cum omnibus patribus cognovit dominū se multis (quod aiunt) parasangis præcurrere & excedere in omni tum gloria tum dignitate. Is. n. ad pedes domini concidit, qui confitetur illū bona firmāque fide longe & late excedere quicquid est uspiam. Cumque ueniret dñs curatum filiam isthanc Moysi, hoc est, synagogam, professus est. n. non uenisse se nisi ad oues quæ perierant domus Israel. Appropinquauit ecclesia ex gentibus collecta, quæ iam totos duodecim annos uoluptatibus diffuens carnalibus emanauerat, omnemque suam substantiam dilapidarat, in medicos impensam. Medici porro falsi fuere idolorum sacerdotes, uel etiam philosophi, qui cum nihil solidi habebant, gloriabantur tamen se ueram habere morum uirtutumque omnium uiam. Mulier illa ecclesia gētrium, accessit à tergo siquidem post ipsam denique Christi passionem & mortē uenit ad ueram sanctæ fidei cognitionem, secutaque tunc deinceps est uestigia Christi. Tetigit illum non capite, sicut Maria Magdalena, neque pectore, ut Iohannes in cœna recumbens. magni. n. & illustres homines non habebant, sicut & iste qui indignum se ratus est esse qui solueret corrigiam aliquam calceamentorum eius, sed tetigit tantum simbriam uestimenti eius. Quoniam beatus est & uere felix, quisquis minimum dei uerbum manu si dei suæ attingit. Ingressus tandem in ædes Iairi dominus derisus est, omniumque Iudæorum lusibus, moribus, sanis, conuitijs & opprobrijs expositus, atque ad extremum in cruce suffixus. cecit ergo & expulit eos dñs à se, unde excæcati quoque sunt in fide. Pauculi autē ex Iudæis ingressi cum domino, uiderunt resurrectionē filię huius, quia paucissimi ex eis ueram susceperunt uiam uitæ & fidei cognitionem, qua intelligerēt ac peruiderēt mysteria Christi, quoque ille modo uiuificaret animas, hic quod per suam gratiam sanctam, illic autē per gloriam felicitatis æternæ. Quam uobis unā mecum donare dignetur, qui gratiam & gloriam largitur dñs noster Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula benedictus, Amē.

Matth. 23

Johā. 12. 13
Johā. 4

ULTIMA HAC A FESTO PENTE-
costes dominica, legi solet euangelium illud: **Q**uomodo in deserto pauperit dominus turbas pauculis panibus, ut in Constantiensi, Augustana, Eystettensi & Ratisponensi diœcesibus. super eo autem homilias nonnullas conscripsimus parte prima. Verum iuxta ordinem Romanae ecclesiae legitur euangelium Matthaei XXIII. quod cum multum faciat ad hæc nostra tempora, breuiter illud iam libet exponere.

DOMINICA VIGESIMA SEXTA A FERIIS PENTECOSTES, euangelium Matt. XXIII.

Marci. 13.
Daniel. 9.



Marci. 13.
Luce. 21

Marci. 13.
Luce. 21
Isaie. 13
Iezec. 13

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: **C**um uideritis abominationem deiolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in templo, non descendat tollere aliquid de domo iua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. **V**æ autem pregnantibus & nutriendis in illis diebus. **O**rate autem ut non fiat fuga uestra in hyeme uel sabbato. **E**rit